

*Pænitentiam agite:
appropinquavit regnum cælorum.*

✠ Lécctio sancti Evangélii
secúndum Matthæum

3, 1-12

- ¹ **I**n diébus illis venit Ioánnes Baptísta
prædicans in desérto Iudææ
² et dicens:
«Pæniténtiam ágite;
appropinquávit enim regnum cælórum».
- ³ Hic est enim,
qui dictus est per Isaíam prophétam dicéntem:
«Vox clamántis in desérto:
“Paráte viam Dómini,
rectas fácite sémitas eius!”».
- ⁴ Ipse autem Ioánnes
habébat vestiméntum de pilis caméli
et zonam pelliceam circa lumbos suos;
esca autem eius erat locústæ et mel silvéstre.
- ⁵ Tunc exíbat ad eum Hierosólyma
et omnis Iudæa et omnis régio circa Iordánem,
⁶ et baptizabántur in Iordáne flúmine ab eo,
confiténtes peccáta sua.
- ⁷ Videns autem multos pharisæórum et sadducæórum
veniéntes ad baptísmum suum, dixit eis:
«Progénies viperárum,
quis demonstrávit vobis fúgere a futúra ira?
⁸ Fácite ergo fructum dignum pæniténtiæ
⁹ et ne velítis dícere intra vos:
“Patre habémus Abraham”;
dico enim vobis
quóniam potest Deus de lapídibus istis
suscitáre Abrahæ filios.

- ¹⁰ Iam enim secúris ad radicem árborum pósita est;
omnis ergo arbor,
quæ non facit fructum bonum,
excíditur et in ignem míttitur.
- ¹¹ Ego quidem vos baptízo in aqua in pæniténtiam;
qui autem post me ventúrus est, fórtior me est,
cuius non sum dignus calceaménta portáre;
ipse vos baptizábit in Spíritu Sancto et igni,
- ¹² cuius ventilábrum in manu sua,
et permundábit áream suam
et congregábit tríticum suum in hórreum,
páleas autem combúret igni inexstinguíbili».

Verbum Dómini.